

Johan Carl Wilcke

**Oratio Solennis, Qva Avgvstissimo Potentissimoqve Regi Ac Domino, Domino Adolpho Friderico, Svecorvm, Gothorvm Vandalorvmqve Regi ... Et ... Dominae Lvdovicae Vlricaе, Svecorvm, Gothorvm Vandalorvmqve Reginae ... Regivm Diadema, In Academiae Rostochiensis Avditorio Maiori Ad D. XIII. Cal. Febr. A. R. S. MDCCLII. Devotissime Gratvlatvs Est**

Rostochii: Typis I.I. Adleri, [1752]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1757181067>

Druck    Freier  Zugang



4°

Wilcke

Regium Diadema D<sup>o</sup>. Adolpho Tridentino  
Succorrum Regi ac Dominae Laudacie  
Utricæ ...

1752.



J.S. II  
1222-4°

ORATIO SOLENNIS,  
QVA  
AVGVSTISSIMO POTENTISSIMOQUE REGI  
AC DOMINO,  
DOMINO  
ADOLPHO  
FRIDERICO,  
SVECORVM, GOTHORVM VANDALORVMQUE REGI,  
REL. REL.  
DVCI HOLSATIAE, REL. REL.  
ET  
AVGVSTISSIMAE POTENTISSIMAEQUE REGINAE  
AC DOMINA,  
DOMINAE  
LVDOVICA E  
VLRICAE,  
SVECORVM, GOTHORVM VANDALORVMQUE REGINAE,  
REL. REL.  
NATAE REGIAE PRINCIPI BORVSSICAE,  
MARCHIONI BRANDENBURGI, REL. REL.  
REGIVM DIADEMA,  
IN  
ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS  
AUDITORIO MAIORI  
AD D. XIII. CAL. FEBR. A. R. S. cLICCLII.  
DEVOTISSIME  
GRATVLATVS EST,  
IOANNES CAROLVS WILCKE.

ROSTOCHII,  
TYPIS I. I. ADLERİ, SERENISSIMI DVCIS AVLICI ET ACAD. TYPOGRAPHI.

ORATIO SOLENNIS  
AGASTISSIMO POTENTISSIMO REGI  
AC DOMINO  
DOMINO  
ADOLPHI  
LEURS MAIESTÉS  
LE ROI  
LA REINE  
REGES SVEDENS  
IN  
ACADEMIA ROSTOCHIENSIS  
ADIDORIO MAIORI  
AD DUXIMUS ETERRA R. A. Z. APPCETW  
GRATIATAS EST  
IOANNES CAROLVS WILCKE  
ROSTOCHII  
TYPIS I. ADLERI SERGESSINI DACS AVIC ET AGVS. TIBORIANI

SIRE  
ET  
MADAME,

C'est avec la Vénération la plus profonde, que j'entre-  
prens d'avancer vers le Trone de VOS MAJESTÉS,  
pour y adorer en Elles avec toute la Svede les Personnes sa-  
cées, avec les quelles la Providence en orne le faite, pour  
en répandre la felicité sur le peuple qu'elle aime.

Les Qualités éminentes et vraiment roiales qui brillent  
en VOS MAJESTÉS, et dont la Svede a déjà admiré au-  
tant de preuves convaincantes, font l'admiration et l'ex-  
emple de l'univers ; La Svede, à laquelle l'entiere jouis-  
fance en est destinée, y trouve son bonheur parfait.

IAN CHARLES MIRCKE

Par-

**SIRE**  
**MADAME**  
Participant a ce bonheur, et en appercevant les charmes, j'ai taché d'en faire admirer aux étrangers la perfection, par les efforts foibles dont ces feuilles contiennent l'ébauche.

C'est pour mettre ces feuilles aux pieds de **VOS MAJESTÉS**, que je me prosterne avec la dernière soumission devant le Trone: I' y offre des méditations qui n'ont du prix que de l' objet sublime qui surpassé de beaucoup toute l'éloquence. Rien ne les recommande, que d'y avoir parlé de la félicité de la patrie. Jamais je me serois laissé seduire, de pousser si loin ma hardiesse, si les regards gracieux dont **VOS MAJESTÉS** réçoivent les moindres mêmes, ne m'en faisoient espérer un gracieux pardon, lequel l' ayant obtenu, mon bonheur est parfait; Et ravie d'admiration, je demeure avec les plus profonds respects,

**SIRE**

ET

**MADAME,**

**DE VOS MAJESTÉS,**

*A Rostock,*

*le 20. de Janvier 1752.*

Le très-soumis et très-fidèle  
serviteur et sujet,

JEAN CHARLES WILCKE.



MAGNIFICE  
DOMINE PRORECTOR,

Inclytae huius Academiae , &  
Amplissimi urbis Magistratus

Proceres venerandi ac prudentissimi,

Scientiarum litterarumque doctores celeberrimi,

Vosque , qui virtutis eruditiorisque laude ducti , vel imitatorem  
me , vel comitem habetis , Commilitones !

A V D I T O R E S  
OMNIVM ORDINVM HONORATISSIMI!

Dum mundi arctois jubila et antiquissimi regni ovationes aëra pulsant , dum faustissima exoptataque die aeterna Numinis providentia , regio , quod divus FREDERICVS , mundi quondam deliciae et admiratio deposituit , diademate , augustissimum ADOLPHVM FRIDERICVM , felicissimo omne cingit ; dum ipta dies una eodem regio insigni REGINA M deae simillimam evincit ; dum potentissimi regni proceres illustrissimi , dum diuinorum mysteriorum interpretes

A

ar-



ardentissimis precibus Divinum Numen venerantur, dum urbes, dum rura mutuae civium gratulationes, suspiria, votaque personant: ego Vos, Auditores O. O. Honoratissimi, in tantae laetitiae societatem vocare audeo. Evidem temeritatis insolentiaeque argui poterit, quicquid ita in me recipio, siquidem eorum solum ad quos dico, ratio habetur, qui omnes vel dictionis gravitate, vel ornatu, vel elegantia, vel decenti vitaeque plena actione, me, dicendi neque peritia neque usu firmatum, longe superant, politioribus doctioribusque sermonibus dudum adsueti. Verum si Eum considero, de quo dicendum est, si ad caussam dicendi quae me in hanc concionem deduxit, respicio; non quidem metu pudoreque, audaciae tamen temeritatisque crimine liberatus mihi, utinam vere! yideo.

Novem fere jam anni, quod novis Auditores, interfluxerunt, cum pax, & electio, & exoratum terris Numen, laetissimis hodie Svecicis Provinciis, principem dederunt, regium Successorem, Serenissimum ADOLPHVM FRIDERICVM, Suecorum, Gothorum, Vandalorumque nunc Regem potentissimum augustissimumque, in quo uno tanta maiestas, tanta regnandi prudentia, tantusque populi sui amor eluent, ut si vel ad imperandum natus non esset, imperio tamen Eundem praefectura populorum quaedam aemulatio fuisset. Venerati tunc coram etsi, Patres acadiae conscripti, Auditores optimi principem hunc, regendis Suecicis terris destinatum atque divinitus constitutum, eaque Numinis Ipsius admiratio Vos cepit, ut absolutissimam regno, ex tanti principis regimine olim eventuram felicitatem gratulabundi praedicaretis. Neque aliud exspectare nos sinebat illa, qua regnum cepit ratio. In mediis namque omnium periodis ipsaque regni nutatione, divino consilio & quodam quasi mandato Sveciam ingrediebatur Princeps, ex cuius adventu aequalis ab omnibus laetitia percipiebatur, cum ingressu crescens, ac prope in singulos gradus adaucta. Non equidem superstitione Deorum cultu, sed tamen ab ipso Numine missus excipiebatur, qui Numen terris istis populoque propitium favensque suo adventu ostendebat. Comitabantur Augustissimum Heroem, pax, frugalitas, religio, iustitia, fortitudo, quas inter virtutes medius excelsior incedens, cunctas eas futurae felicitatis obsides quasi secum ducebat. Hoc stipatus praesidio,

popu-

populique sui fide pietateque nixus, non solum successor regni, sed particeps etiam sociusque divo FRIDERICO gratissimus fuit acceptissimusque, tum iam omnium consensu pater patriae habitus, cum incredibili fere temperamento ne successor quidem regni haberi solebat. Ea tum regni erat felicitas, ut Regi subesset diurna experientia longoque rerum usi prudenti, & principem ad Nestoris latera intueretur, publicae salutis gubernaculis aliquando se admoturum, cum divina tandem sapientia, Heroem, toga sagaque immortalem, aeterna nunc gloria veraque immortalitate fruiturum, FRIDERICVM, coelis vindicaret.

Ea est mortalium conditio, Auditores optimi! ut laetiora plerumque aduersa sequantur, ex adversis vero secunda eveniant. Evenit idem potentissimo Sueciae regno, quod diuturniori tristitia, dolore, luctu, mortem FRIDERICI sui tulisset, nisi statim, quam bene A DOLPHI FRIDERICI humeris imperium sedeat, animadvertisset. Non immerito ea respublica felix audit, quae capite orbata fluctibus quasi periculisque commissa, novit tamen imperantem, saluti suaे olim consulturum; felicior multo, quae prudenti regni moderatori se traditam iri confidit; ast ea tamen omnium felicissima praedicari oportet, quae casto, sancto, & D E V M referenti principi subjecta est, cuius regnandi artem, cuius sapientiam, justitiam, cuius denique in se versum omnem amorem, experta dudum est atque edocta. Ita D E V S Sueciae regna dilexit, ut felicissimas alias terras in eo superare videantur, quod A DOLPHI sui FRIDERICI futurum imperium, lene illud beatissimumque, ferre potuerint prius, quam ipsa regni gubernacula, cum subjectorum suorum plausu, ab ipso fuereprehensa, quodque fortunatissima tantae felicitatis fructus nunc percipient. Atque huius felicitatis memoria non intra Sueciae fines se contineri patitur, potius & exteris gentibus praedicari illa commendarique meretur.

Habetis sic Auditores omnium Ordinum Honoratissimi, faustissimam illam quae me ad dicendum impulit occasionem, quam me cepisse, si vel quodam in principes, quos vobis divina concessit clemencia, pietatis sensu ferimini, haud improbabitis. Non enim solum



aeterna illa providentia me potentissimi Sveciae regni civem esse voluit, sed quod felicitatem meam auget, in ipsam regni sedem delato eam benignissimam mihi patriam concessit. Ingratus in patriam, negligentior propriae salutis, quam largissime illa auxit, immemor tandem divinorum beneficiorum existerem, nisi publica vota in publica provinciarum laetitia devotissimus funderem! Vos itaque patres Academiae conscripti, auditores optimi, quo fieri potest studio rogo, ut me, felicitatem ex augustissimo ADOLPHI FRIDERICI imperio Iperandam, Sveciae gratulaturum, auribus attentis propensisque excipiatis. Causa mihi equidem oblata est, in qua oratio nemini deesse potest, & in qua aliis non copia sed modus in dicendo quaerendus foret. Ast sentio mihi neque tantam vim ingenii & eruditionis inesse, ut aliqua saltem ex parte vestrae exspectationi respondere queam, neque tantum eloquentiae, ut heroicas ADOLPHI FRIDERICI virtutes, eximiaque decora, dignis praeconiis posteritati commendem. Non tamen animum depono, quando intelligentes Vos aestimatores suspicio, dicentis imbecillitatem haud accusaturos, sed eo ipso arguento potius usuros, ut id quod agitur, singulare quid & eximum esse judicetis, quod ad id exprimendum, nulla potuerit satis vehemens atque illustris oratio reperiri.



**S**ed vero statim dum sermonem instituo Auditores O. O. Honoratissimi, alio atque alio numerosa ADOLPHI FRIDERICI gloria me vocat, quo fit, ut eligere quid referam vix liceat, atque in immensum prope oratio mea diffundatur. Vel enim ipsae herois incomparabilis virtutes singulae ita eminent, ut quam primam venerer, quamque postremam mirer, aegre discernam, cum aequa omnes ditissimam et perpetuitatem spondentem regno felicitatem pollicantur. Eam enim provinciam praestanti florenteque fortuna excellenter omnino judico, quae domi tranquillitate securitateque fruitur; quae civium suorum robore fideque nixa, civilia bella periculaque adeo non metuit, ut externi hostis vim aut arma nequidem formidet;

quae

quae summo labore assiduaque industria civium cuncta parata habet, quae ad vitam commode, bene, beateque ducendam conducunt; quae veritatis scientiarumque incrementa, ad vitae humanae usum applicata fertili edit proventu; quae legibus paret, sapientiae prudentiaeque veris imaginibus; quae cultu sacrorum publico, aeternis DEI perfectionibus convenienter gaudet accommodatoque, quae denique tantorum honorum perennitatem, non fallaci spe sibi promittit: Istam inquam rempublicam, prosperam satis satisque pollentem praedamus. Non ita quidem universa, quibus feliores terrae alias superant, commoda exposui, quod nec instituti praesentis ratio permittit, nec vestra Auditores, in his rebus excercitata ingenia patiuntur. Si quid ego tamen judicio assequi valeo, enumerata illa firmam, locupletem, stabilemque, regno prosperitatem augmentumque pollicentur. Neque prolixiori opera per partes idem evincendum erit, mihi potissimum, qui augustissimi ADOLPHI FRIDERICI regimen, Sveciae praestantia tot bona conciliaturum ostensurus, dicendorum copia sic obrutum me sentio, ut vel dies deficeret sermoque diutius hisce immoratur. Et non digna satis talia, quae hodie exponantur, videntur, dum ADOLPHI FRIDERICI gloria, & ita quidem dicenda est, ut idem de alio principe, quod de nostro, dici potuisse prorsus haud videatur. Quare non, quod oratores solent, quoties principes laudant virtutibus parum praestantes, ego, nunc locos tractabo, artem potius quam devotissimam fidem monstrantes; sed ex summa concordia, ex summo concentu omnium laudum, omnisque gloriae quae principi nostro contingit, ea depromam, quae futuram Sveciae felicitatem firmam summamque non e longinquo ostendunt, sed praesentem iam gignunt.

Cum itaque nihil hominibus auspicatum fortunatumque sine DEI immortalis ope evenire possit, agamus jam, quaque ratione Numinis benignitatem terris suis optimus princeps conciliet, contemplemur. Miramur vero gravissimam illam, sanctissimamque pietatem, quae ductus augustissimus princeps publico sacro cultui devotam mentem manusque affert; sacrorum securitatem servat, alit, tuetur; veritatum divinarum summam sanctissimamque autoritatem salvam inoffensamque praefstat, et prouti ipse, quanta sollicitudine Numinis exoranda sit gratia, illustrissimo docet exemplo, ita ut omnes qui potentissimo

B

suo



suo imperio reguntur, eandem teneant rationem; eodem ducantur pietatis sensu, insuperabili voluntate jubet. Adeo perversas non raro magnatum opiniones, suis viribus quicquid praecclare gerunt, gessisse se, vel persuadentium sibi, vel aliis persuadere audentium; detestatur piissimus ADOLPHVS FRIDERICVS, ut ipse, quod terris suis prosperum evenit faustumque, non sibi, non propriae qua plurimos facile vincit mortales prudentiae tribuat, sed ad providum Numen omnia gratissimus referat. Dici vix potest, Auditores Honoratissimi, quantum haec augustissimi pietas regno suo commodi inferat emolumentique. *Firmari regna pietate*, sapiens vox est, si nullo alio, felicissimo Sveciae exemplo illustranda, comprobandaque. Non enim ea solum funesta illa, ex sacrorum diversitate saepius progenita dissidia, a finibus regni coercentur, verum tanta etiam vi roboreque subjectorum animos percellit, ut cum numinis cultu, singularum simul virtutum appetentes existant, studiosique. Regis namque tam benigni tam dilectissimi ad exemplum, quis non mores suos, animum, totamque vitam Iubentissime componeret? Quis non huic carus, huic probatus esse cuperet? id quod frustra dissimiles speraverint.

Ast haec non sola laus est ADOLPHI FRIDERICI, licet forte quae maxima in principe miranda censemur. Parem, rarissima quae ipsum ornat regnandi prudentia, reverentiam sibi postulat. Eo fere Auditores adducor, ut Sveciam omnium terrarum felicissimam ideo praedicem, quod regi commissa est, diuturno imperandi gubernandi que usu ad potentissima regna moderanda ita efficto praeparatoque, ut securius nulli, nulli tutius tradantur. Mirata est Germania, miratus est universus orbis sapientiam, quam in tuendis administrandisque Germaniae provinciis adhibuit, priusquam successor regni, conspirantibus populi sui suffragiis, adoptaretur. Delatus in terras, suo olim nutui parituras, quantasne statim ab auspiciatissimo ingressu curas, quantos labores pronissima voluntate subiit, quo publica regni salus, tranquillitas, et autoritas stabiatur proferaturque? Alios principes terra produxit, solio vel a majoribus hereditate accepto insidentes, vel solis fati ludibriis eidem impositos, quos praeter imperantium nomen, nulla insignia facta, nulla regni cura, nulla imperandi probata prudentia nobilitat, qui longiori desidiae mancipati quasi, voluptatis-

tatisque illecebris deliniti, Veneri & Libero, omne tempus deberi arbitrantur; qui supra communem mortalium sortem ideo solum se egestos putant, quo aliorum miseras & labores in explendas pravas suas cupidines demergant; qui rempublicam adeo, nec consiliis, nec prudentia juvant, ut ipsi potius aliorum coeci tantum imitatores atque servi inveniantur, imperio indigni, dum alienae voluntati foedum praestant obsequium. Nil tale cogitare licet, quando ADOLPHVM FRIDERICVM cogitamus; nil enim tale ab augustissimo heroe, fausta Svecia experitur. Numquam de regni salute, nisi praesente Rege agitur, nunquam civium caussae nisi ipso moderante tractantur; nunquam consilia neque capiuntur neque exponuntur, nisi sub ipsius oculis; nunquam executioni, nisi ipso Rege volente jubenteque, dantur. Neque enim quisquam, tanta scientia regni, tanta legum quibus provinciae istae reguntur, notitia pollet, quanta sapientissimo Regi ineft, adeo ut Svecia quidem ab ipso regatur, ipsi, sed quemadmodum legibus, subjecta sit, verissima gaudens libertate, quae patriis legibus moribusque subeft. Vos testor, Auditores, quibus sapientissima sub ipsis beatissimi imperii auspiciis, pervulgata edicta innotuerunt, Vos ipsi summam qua ista nituntur prudentiam, accuratissimam quam produnt legum Svecicarum notitiam loquamini, quantaque patriae fatus ex iis speranda sit praesentiatis praedicatisque. Ea namque demum firmissima, provinciae felicitas est, quae legibus sapienter latis promovetur, augetur, stabilitur. Testor divinum istud excelsi vereque regii animi indicium, quod ipsi sibi incomparabilis Heros sumfit, Symbolum: *quod in publica salute, propriam salutem positam pronunciat* Qui ab ipsa aeterna providentia, concedi sibi darique principem optant populi, qualem precibus suis impetrare nitantur edituri, communifere ore patriae patrem se votis expetere fatebuntur: quis autem blando isto nomine insigniri magis meretur? quis potius talem se praefat, quam qui solam publicae rei felicitatem bonumque ideo promovet, quod nullam extra eandem veram prosperitatem aut laudibus dignam fortunam novit? qui ob id tantum aliis imperare videtur, quo eorum saluti, privata non aequa obtaindae opera, succurrat; DEI in hoc simillimus, qui aeternam rerum creatorum gubernationem in eorum tantum commodum, emolumentumque exercet. Talem ADOLPHVM FRIDERICVM imperantem laetissima Svecia veneratur,



longissimamque ex tam prudenti regimine incolumitatem, confiden-  
tissime sibi promittit.  
 Aliud mihi dicenti semper ex alio occurrit, quod futuram Sveciae  
 felicitatem firmare videtur, ex augustissimo ADOLPHI FRIDERICI  
 imperio ipsi accessurum. Vel sola illa, qua terras suas comple-  
 titur intensissima dilectio, amore quo in cives suos fertur, me-  
 morandus mihi esset fidem dictis facturo. Mirabantur illum provin-  
 ciae, cum principem omnes fere terras videntem, coram intuerentur,  
 qui summas longioris viae molestias perferebat, quo praesens terrarum  
 indolem atque rationem investigaret, populisque quibus aliquando im-  
 peraturus erat, conspiciendum se colendumque praeberet. Major amo-  
 ris istius admiratio quotidie subjectos capit, quando admissionis faci-  
 litatem experiuntur, quamque etiam humilibus ad ipsam regis majesta-  
 tem aditus pateat, cognoscunt. Sed maxime ipsi adstupuit Holmia,  
 felicissima ADOLPHI FRIDERICI sedes, eo tempore, quo diris  
 flammis, immersa fere videbatur, circumseptaque. Miserrimam tunc  
 patriae faciem memoranti, lacrymae fere singultusque vocem interclu-  
 dunt. Tota Civitas, recenti fumabat incendio, ardebat tecta, con-  
 ceptumque ignem late fundebant; undique flamarum fulva & tor-  
 tuosa volumina volvebantur; summam civitatis agi clamitabatur, &  
 omnes fortunas suas in extremo sitas quisque intelligebat. Nullus fere  
 saluti locus relictus videbatur, praeter immensam Numinis misericor-  
 diam, summamque regis prudentiam atque virtutem. Non enim du-  
 bitanter pericula fortissimus heros adibat, verum inflammam ipsam  
 veniens, sua voce, consiliis jussisque, trepidantes depressoisque civium  
 animos, ita excitabat, ut vires sumentes spiritumque, contra flamma-  
 rum tandem violentiam se suaque bona protegerent, funestissimum  
 ita interitum effugientes. Nulla tunc pene vox audita fuit, quae  
 ADOLPHVM FRIDERICVM, sua fortunae autorem vindicem-  
 que, non praedicaret, quodque Quirites olim Trajani amorem experti  
 optarunt, idem universa Svecia uno ore yovebat, ut sic ipsam DEVS  
*amaret, quemadmodum regi esset amata.* Dignissima tam excellenti im-  
 perante tam felici populo vox, largissimae futurae felicitatis pignus  
 cautioque certissima.

Di-

Dicerem, A. O. O. H. de augustissimi regis summa in scientias artesque propensione, quam florentes in Svecia academiae & eruditorum virorum consortia, sub ADOLPHI FRIDERICI regimine vires sumentes incrementumque, loquuntur, nisi fatorum quae litteris obtingunt curiosis solertibusque indagatoribus dicerem, qui dudum de tanto scientiarum numine mundo sunt gratulati. Eloquerer excellentem illam virtutem bellicam, quam augustissimus rex tunc prodidit, cum militarem disciplinam refovens, proprio exemplo arma tractandi artem milites doceret; fortunatismos ita imitaturus imperantes, qui non timent bella, nec provocant, attamen pace fruentes perpetuo usu exercitus suos ad pericula obeunda firmant roborantque. Sed quis non ipse, vel me silente, regni felicitatem ex tam divinis virtutibus praesentiet? Et sunt mihi augustiora adhuc commemoranda.

Ipsa regia familia, nulli alii vel generis antiquitate, vel ingenti laudum numero, vel majestatis decore secunda, tantam Sveciae pollicetur tamque stabilem atque perpetuam felicitatem, ut si vel nullum divinae in potentissimum regnum clementiae aliud exstaret monumentum, solum id sufficeret, quod tam augusta stirpe regatur. Numquam mortales adeo rerum quae in his terris geruntur negligentes erunt, ut summa illa, quae GVSTAVI PRIMI immortalis gloriae regis inclyta illa Vasorum Familia, regno beneficia praefitit, oblivione obruant, vel posteriorum memoria indigna iudicent. Sanguinem ex immortalibus istis heroibus ducens augustissimus ADOLPHVS FRIDERICVS, summam omnium celsissimarum virtutum, quae in ipso solo coaluerunt, gloriam hereditate accepit, regnoque ob id tantum potitus est, quod ex tam augusta familia eo esset dignissimus. Ita avito imperio restituto, Svecia summam merito in regem suum fidem, summam fiduciam recepit, non vano ducta augurio, fore ut quae per secula felicitatem ipsius auxit promovitque augustissima stirps, in ADOLPHO FRIDERICO quasi renata, posteritati maiora adhuc commoda maioraque augmenta sit paratura.

Impletam jam, quae summi Numinis gratia est, tam fidam tamque divitem spem laetissima Svecia gaudet, quoties augustissimam regni sociam, LUDOVICAM VLRICAM, in qua regii sanguinis

C

splen-



Splendor multis eximiis decoribus vel vincitur vel illustratur; devota intuetur. Ne enim quoddam fortunae genus Sveciae deesset, ipsa Numinis immensa sapientia ab aeterno jam sanctum illud auspiciatisimumque connubium conjunxit, quod nostra tempora beat, nepotibusque parem salutem pollicetur. Non quisquam facile invenitur, qui quantum prudentia, scientiarum artiumque cognitione, pietate, animi constantia, roboreque **LVDOVICA VLRICA** mortales supereret, ignoraret, vel quem divinus animorum inter augustissimas regias personas consensus fugeret. Multo vero admirabilius existimandum est, quod tanto in subjectas sibi terras amore feratur, quod ita cives suos foveat, ut quantum in eo augustissimum conjugem imitari, quantum eum subsequi studeat, difficile cogitetur. Super omnia tamen praedicandum, quod regno heredes largita est, juvenitatis principes, morum, virtutis, constantiae, pietatis, ingenii, potentissimorum parentum verissimas effigies, quorum ad paternam dignitatem, maternamque venustatem conformati cultus, diutissime Sveciae imperantes promittunt, pari nepotes lenitate clementiaque recturos, quam a felicissimis parentibus, nostrae dies experiuntur. Et haec Sveciae in principibus suis certissima fiducia eo fortior est firmiorque, quod post seculorum decursum demum tres regios principes, **GVSTAVVM**, **Illustrissimo TESSINIO** Duce futurae temporum felicitati crescentem, **CAROLVM** et **FRIDERICVM ADOLPHVM**, vegetes omnes floentesque, et ipsis jam pueritiae annis lusibusque virilem quandam aetatem gravitatemque prae se ferentes, una exosculatur.

Judicetis jam, Auditores, quantam qualemque ab augustissimo **ADOLPHO FRIDERICO** fortunam Svecia jure sibi policeatur? Imperii summam regi traditam cernit, cui in numen pietas, cui regnandi prudentia, cui in subiectos amor, cui in litteras favor, cui intrepida fortitudo, summa moderatio, incredibilis indulgentia maximam inusitatamque gloriam conciliarunt, quod solus qui imperare ipsis debeat, a Svecis habeatur. Suspicit in **ADOLPHO FRIDERICO** atavis Sveciae regibus editum imperantem, faustissimo connubio, arctissimis necessitatis amicitiaeque vinculis, potentissimo regno conunctum, regia prole, nostrae aetatis spem, futurae exspectationem im-

implente beatum. Quae omnia nisi certissimae felicitatis indica  
habenda sunt, nescio quid promittere aliud eandem mortalibus  
valeat.

Scio equidem A. O. O. H. nihil vobis prius esse, nihil antiquius,  
quam solennis ille, ipsisque sacris litteris commendatus, Principum  
cultus, quem, quod terrarum Dii sunt, excelsior illorum praestan-  
tiorque fortuna a mortalibus poscit; Neque me fugit, quanto majore  
sanctioreque pietate imperantes eos, qui generis humani patres co-  
munisque salutis auctores existunt, prosequamini, id quod vel ipsa  
vestra praesentia, non sine observantissimae gratissimaeque mentis de-  
claratione mihi commemoranda, publice nunc docuit. Non vana  
inde fallaxque mihi fiducia oritur, fore ut ipsi vos, vel nullo suafore,  
tantae, quae Sueciae obtigit salutis, tantae felicitatis perpetuitatem a  
Numine sitis exoraturi. Ast patiamini tamen, ut, quos in publicae  
laetitiae confortium vocavi, iam & in precum votorumque societatem  
ego allicere laborem.

A Te, qui antiquissimi regni stator es  
praesesque DEVS, datum nobis conces-  
sumque ADOLPHVM FRIDERI-  
CV M talem publicae salutis ac felicitatis  
custodem suspicimus, quo nemo vel pru-  
dentia consultior, vel justitia sanctior, vel  
amore in subjectos laudabilior admirabilior-  
que existit. Te itaque in fine orationis  
precor, ut quam semel Sveciae largitus es  
felicitatem, perpetuam praestes atque  
inconclusam. Te oro, Te obtestor, ut  
ADOL-



**ADOLPHVM FRIDERICVM &  
LVDOVICAM VLRICAM,** augustissima illa capita, nepotibus nostris ac pronepotibus serves, Tuaque tutela in quam semel Ipsa accepisti, diutissime complectaris; ut CELSISSIMOS REGIOS PRINCIPES fortunatissimos, Parentum regnique vota implere jubeas; ut, quo ipse regia capita vinxisti diadematate, diutissime eadem ornes, et vel de nostris annis productissima eos frui vita, efficias; ut potentissimi regni felicitatem augreas, beatamque ipsius tranquillitatem promoteas; & si quae alia pro optimis principibus bonorum ci-  
vium vota sunt, ea omnia ut tu  
impleas exaudiasque!









**ADOLPHVM FRIDERICVM &**  
**LVDOVICAM VLRICAM**  
 sima illa capita, nepotibus nos  
 potibus serves, Tuaque tur  
 mel Ipsa accepisti, diutissim  
 ut CELSISSIMOS PRIN-  
 CIPES fortunatissime  
 que vota implere jul  
 gia capita vinxisti  
 me eadem ornes, e  
 ductissima eos fr  
 tissimi regni fe  
 ipsius tranqui  
 alia pro or  
 viur  
 augeas, beatamque  
 promoveas; & si quae  
 principibus bonorum ci  
 sunt, ea omnia ut tu  
 eas exaudiasque!

